

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Medica De Salvtaribvs Et Nocivis Dolorvm Effectibvs

Büchner, Andreas Elias

Halae Magdebvrgicae, 1768

VD18 13177346

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216509

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
SALVTARIBVS ET NOCIVIS
DOLORVM EFFECTIBVS

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
P R A E S I D E
PRORECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDIC. SENIORE ET REGIOR. ALVMNOR. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRAD V DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
D. XXII. MART. A. R. S. CLO 10CC LXVIII.

PUBLICE DEFENDET
AVCTOR
CAROLVS BENIAMIN RVFFERV
LANDESHVTA-SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
APVD IOANNEM CHRISTIANVM HENDEL.

90 B7
Franckesche
Stiftungen
des Wissens



90 B 17

VIRIS

SVMME AC PLVRIMVM REVERENDIS,
EXCELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS,
DE ECCLESIA AC REPVLICA INSIGNITER PROMERITIS,

DOMINO

CHRISTIANO SAMVEL ULBERO,

PASTORI AD AEDEM S. IACOBI
ET SCHOLARCHÆ CIVITATIS LIBERÆ IMPERIALIS HAMBVRGENSIS
LONGE GRAVISSIMO;

DOMINO

CHRISTIANO IOSEPHI,

CIVITATIS GLACENSIS DIRECTORI
ET EIVSEM COMITATVS INQVISITORI PUBLICO CONSULTISSIMO;

DOMINO

IOANNI GODOFREDO HAPIERSKI,

INSPECTORI REGIO CIRCULI LANDESHVTANI
ET BOLCKENHAYNENSIS LONGE MERITISSIMO
ET P. T. ARCHI-DIACONO ET SENIORI MINISTERII AD AEDEM
SS. TRINITATIS IN SVBVRBIO LANDESHVTANO;

DOMINO

CHRISTANO EMANVEL ULBERO,

PASTORI ECCLESÆ BOLCKENHAYNENSIS VIGILANTISSIMO;

DOMINO

SAMVEL LINDNERO,

ECCLESÆ TIEFHARTMANSDORFENSIS ET HOHENLIEBTHALENSIS
PROPE HIRSCHBERGAM PASTORI DIGNISSIMO;


PATRONIS ET AVVNCVLIS SVIS DESIDERATISSIMIS
AC SVMMPERE DEVENERANDIS;

ET TANDEM
DOMINO
IOANNI HENRICO RVFFERO, A. M.
COETVS EVANGELICI MICHELDORFENSIS
PROPE LANDESHVTAM PASTORI FIDELISSIMO,
P A T R I S V O A M A N T I S S I M O
AC AETERNVM COLENDO,

HANC DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM MEDICAM
DEMISSO MENTIS ANIMIQUE CVLTV

D. D. D.

CAROLVS BENIAMIN RVFFERVS
LANDESHVTA-SILESIVS.



§. I.

Quacdam Doloris notiones diiudicantur.



Qui a corporea mutatione nascitur dolor, crudelis generis humani tortor, id sibi vindicat singulare, ut in eius notione suppeditanda, licet plures eam rem suscepint, minus, quantum suspicor, hucusque felices fuerint Medici &, qui hos plerumque secuti sunt, Philosophi. Sensationis equidem cuiuslibet exacta idea in nullum, nisi eum cadit, quem propria edocuit experientia, ut etiam coeci a natuitate visus naturam nulla ratione animo concipere queant. Non id ergo in illa re miror, perceptionis illius, quam *dolorem* nuncupare solemus, *essentiam* minus esse assecutam; nam, ut verbis Perillustr. van SWIETEN vtar, *qui sit in mente illa perceptio, impossibile est verbis explicare; solus ille nouit, qui dolorem patitur;*

A 2

verum

verum id mihi mirandum esse videtur , quod ne *notio* qui-
dem *doloris*, omnibus numeris absoluta, prolata sit, cum aliae
sensationes, quae corporeis mutationibus debentur & non ni-
mis speciales sunt, ut tactus, visus, sitis, fames, nausea, satis
conuenienter definitae sint, atque ab aliis hinc facile queant
distingui. Dixit (Aphor.220.) BOERHAAVIVS: *Si fibra ner-
uosa, cerebro orta, ita extenditur, vel alio modo disponitur, vt
dissolutionem minitetur, fit doloris idea.* Numquid haec sa-
tis exacta doloris definitio? Minime quidem. Enim vero *pri-
mo* pruritus cum dolore confundi potest, cum in illo quoque,
~~ex BOERHAAVII~~ sententia , status fibrae nervosae, dissolutio-
nem minitans, adsit ; *dein* epilepticus, quamvis horrendis
motibus agitentur membra partesque, nullum exquisitum
sentit dolorem, quem tamen ex BOERHAAVIANA definitione
sentire deberet ; sensiles *porro* partes non raro sine dolore mi-
rum quantum extenduntur, ut in hydrope, ventriculi non
nunquam a cibis aut flatibus expansione, & aliis exemplis, e
quibus constare potest, nos iis in casibus vel plane non senti-
re, vel anxietatem pati, minime vero dolorem percipere, li-
cet illae conditiones adsit, quas sufficientes ad producendum
dolorem iudicat BOERHAAVIVS; datur *denique* dolor imagi-
narius, post amputata imprimis membra, in quo status ille,
quem BOERHAAVIVS fingit, assumi vix potest, quod etiam
Perillustr. van SWIETEN largiri videtur in *Commentar. ad h.l.*
Accurior longe definitio est, quam GAVBIUS (*Instit. Pathol.
medic.*)

*medic. §. 670.) exhibet: Dolor, inquit, qui ad Medicum pertinet, est tristis sensatio sui generis, quam ita percipit mens, ut semper ad aliquam sui corporis partem, tamquam quae vim patiatur, referat. Notio haec soli omnino dolori competit; miror interea, Virum egregium, quem Medicum Philosophum dicere fas est, verbis *sui generis* usum esse, quae noua explicatione indigent. Satis nouimus, dolorem tristem esse sensationem *sui generis*; at, qui definit dolorem, quaerit & colligit illa praedicata, quae faciunt, ut dolor sensatio *sui generis* euadat. Non debent itaque verba praedicta definitionem ipsam doloris ingredi, alias naturam doloris non magis, quam antea, intelligimus. Anxietas aequa ac dolor ponit sensationem tristem *sui generis*; non raro etiam eam ita mens percipit, ut ad aliquam sui corporis partem (praecordia nempe), tamquam quae vim patiatur, referat. Nonne ergo dolorem, ex *Gaubiana* definitione, cum anxietate saepe saepius confundes, nisi naturam illius aliunde iam cognitam habeas?*

§. II.

Doloris definitio.

Sufficient haec exempla! Quaerenda iam alia doloris definitio. In omni dolore tristis adest sensatio, quam vellet mens humana abesse; in eo vero, quem Medicus perpendit, mutatio corporea, neruis, cum sensorio communi connexis, ita accidit, ut in enormes abripiantur motus. Nullus unquam dolor sine his contingit, & immodicum imprimis in ea

A 3

sensa-

sensatione dolorem excitat, quod monuit iam **CARTESIUS**. Forsan ergo hanc doloris notionem recte possimus veram iudicare: *Dolor est sensatio tristis, quam percipit mens ob enormem fibrarum neruearum tremorem.* Imaginarius etiam dolor, si ex corporis mutatione oriatur, huic definitioni respondet. Ceterum non inquiram, qua ratione fiat, ut enormis fibrarum neruearum tremor dolorem producat. Plura ea de re a Philosophis dicta sunt (**CARTESIUS** de Animi affect. p.m. III. *Philos. Schriften* I. Th. p.87.), quae tamen longe videntur a veritate recedere. Ex immodico illo tremore, credo, aequa difficulter dolorem, quam ex siccitate faucium sitim, aut ex irritatione ventriculi famem explicare possumus. Melius sine dubio erit, ad praescriptam a Deo legem confugere, qua determinatos neruorum motus singulares sequuntur sensationes. Ea equidem ratione phaenomenon ipsum non explicatur; cauemus tamen, ne inani verborum strepitū Lectori molesti simus, aut eum, fumum vendentes, decipiamus.

§. III.

De effectibus dolorum generatim.

Caussas dolorum nunc recenierem, nisi eas in aliorum Medicorum scriptis sufficienter expositas esse viderem. Conf. BOERHAAVIUS l. cit. §. 223. 224. GAVBIUS l.c. §. 673. 674. Ad *effectus itaque dolorum* transeo, ut, illis delineatis, de salute & noxa eorum aptum possit iudicium ferri. Isti autem effe-

effectus trifariam dispisci possunt. *Alii enim in anima & systemate neruorum proderint; alii in fibris muscularibus comparent, alii demum vasa afficiunt.* Inde iam sequentis translationis ordo apparebit, qui conuenientissimus mihi visus est.

§. IV.

Dolorum effectus in anima & neruis producti.

Huc referri debent sequentes: I. *Anxietas.* Sensatio tristis, quae dolorem comitatur, efficit, ut sentiat mens, corpus male affici & pati a caussa, dolorem inducente. Sed vivida mali maioris repraesentatio, connexa cum alia, quae, malum illud a nobis superari non posse, nos docet, creat anxietatem. Quare iam necesse est, ut haec dolore producatur. Hinc etiam *inquietudo, iactatio, & desperatio vitae* oriuntur (GAVBIUS l.c. §. 675.). II. *Agrypnia.* Quies neruorum causa est somni; motus ergo eorum continui, maiores aut vigilias, aut somnum inquietum determinabunt. Dolor autem, quacunque ex caussa ortus, neruos in continuo & enormi motu constitutos esse ponit. Hinc aut vigilias, aut somnum inquietum producer, nisi adeo paruuus sit, ut mens, praecedente imprimis labore defatigata, neruorum motus percipere nequeat. III. *Delirium.* Potest enim delirium a quacunque caussa nasci, quae commune sensorium in enormes abripit motus. Nonne dolor magnus simile quid efficere valet? Quot non huius rei exempla in Observatorum monumentis exstant? IV. *Debilis neruorum & insensilitas.* Hinc

BOER

BOERHAAVIUS l. c. §. 222. dixit: *Dolor summus in eadem parte breuis, minor diutinus esse, & intendi potest, & remitti.* GAVBIUS fere eadem habet: *Summus, inquit, dolor breuis, nec menti diu tolerabilis, cito aut soluit, aut soluitur.* (l. c. §. 676.). Potest phaenomeni ratio in causa doloris latere. Quando enim v. g. acre validissime nervos afficit, enormem quidem creat dolorem, minus tamen diu durantem, cum ea ipsa causa, quae summum tunc excitat dolorem, cito fibrillas nerueas destruat, atque hinc, nexus earum cum sensorio communi sublato, mutatio nerui a mente percipi amplius nequeat. Sed ipse quoque dolor, si magnus fuerit, hanc mutationem producit. Omnes enim partes solidae, diu aut vehementer motae, demum debilitantur, aut permanent in statu tensionis. Manifesto id videmus in musculis, diu aut vehementer motis. Nunc si haec neruis, vehementer a dolore agitatis, accident, debilitas demum & insensilitas, sive particularis, sive, affecto simul eadem ratione sensorio communi, vniuersalis subsequetur, quod Observations non minus confirmant.

V. Motus partis dolentis impeditus. Tensio enim partis sub motu, hincque ortum doloris augmentum, eam impotenciam creat.

§. V.

Dolorum effectus in musculis.

Musculis a dolore symptomata accident, quae passim cum neruorum mutationibus quandam similitudinem alunt.

Scili-

Scilicet I. *Spasmus* eiusque species, *conuulsio epilepsia, tetanus.* Spasmus generatim nascitur ex irritamento validiori, muscularis applicato. At enim vero nerui motorii irritati, irritant etiam musculos, ad quos tendunt. Dolor itaque, illos irritans, vim quoque muscularam excitabit, spasmum creabit. Conuulsio, epilepsia & tetanus non nisi gradu a spasio differunt. Quare, pro gradu doloris & differentia subiectorum, modo spasimus simplex, modo conuulsio, modo epilepsia, modo tetanus, a dolore produci possunt. II. *Paralysis.* Nerui enim ad musculos tendentes, debilitari & insensiles reddi (§. anteced.), atque ipsi etiam musculi & atonia & torpore post spasmum affici possunt. Non deficient ergo hic caussae paralysin determinantes. Possem haec pluribus Observationibus confirmare; cum vero res satis nota sit, nolui in ea multus esse.

§. VI.

Catalepsis.

Separauit hunc doloris effectum a reliquis, cum theoria huius morbi nondum recte stabilita, & classis, cui accenseri debeat, definita sit. Catalepsin plurimi muscularum affectionem esse statuunt, ita tamen, ut modo spasmis eam, modo paralyticis affectibus adnumerent, vtrumque forsitan non satis apte, cum in vera Catalepsi nulla muscularum contractio, sed *cerea* potius *flexilitas* obtineat, atque etiam paralyseos signa minime adint. Quaecunque vero rarissimi huius mor-

B

bi

bi natura sit: docet nos experientia, excitari eum ab eo, quod irritare potest neruos, licet singularem illam irritationem, quae ad producendam Catalepsin requiritur, definire nequeam. Frigus, animi pathemata, vermes, meditationes aciores & similia, quae, irritando neruos, horum motus abnormes reddunt, caussae huius mali existiterunt. Nunc autem dolor non minus, quam praedicta, irritat neruos. Nonne itaque Catalepsin producere potest, licet rarius, cum affectus ipse sit rarissimus? Miror, nec BOERHAAVIVM, nec HOFFMANVM hanc Catalepseos caussam attulisse. Spectat interea huc obseruatio, quam HOFFMANNVS in *Medic. systemat. ration.* Tom. IV. Part. III. p. 127. seqq. enarrat. Vermes praecipue in eo casu generauerant Catalepsin; monet vero simul HOFFMANNVS, *ingentia imi ventris tornina* adfuisse.

§. VII.

Effectus Dolorum in vasis & canis.

Restant effectus, quos exserit dolor in vasorum systemate & aliarum partium cauitatibus. Referendi huc sunt sequentes: I. *Imminutio cauorum.* Vasa enim & caua varia fibras musculares nostra sunt, quae itaque, spasio a dolore producto (§. V.), sese contrahunt, idque potentius, quam statui sanitatis conuenienter fieri debebat. Quoniam nunc a vasorum contractione imminutio cauorum penderet, quod luculenter Physiologia docet, sequitur, dolorem imminutio nem cauorum & vasorum inducere posse. II. *Motus corporis,*

vis, in vasis aut canis contenti, retardatus, vel etiam plane definens. Quando enim imminutio cauitatis, quam alienum corpus transire debeat, nimium increscit, facile fit, vt corpus illud, ob imminutum spatium auctamque hinc caui huiusque laterum resistentiam, retineatur. Nonne videmus, vehementem cardialgiam cibos in ventriculo retinere, cum leuior vomitum saepe praecedat, immo etiam comitetur? III. *Evacuatio maior, impetuosa, vel etiam minor.* Quando enim cavum, quod massam euacuandam continet, sese contrahit, aestio illius in contentum maior fit, hincque etiam motus massae & euacuatio effici potest. Docet id vomitus paullo vehementior, cardialgia semper stipatus. Quum vero contractio vasis aut caui a dolore tantum increscere possit, vt ostia partis, euacuationi destinatae, nimium quantum minuantur: dolor euacuationi cuiusdam massae obicem ponere potest. Quam saepe quoque contingit, vt ob dolorem a calculo vri- nae excretio minuatur, suppressatur?

§. VIII.

Porro.

IV. *Febris.* Huius enim caussa latet in omni eo, quod cor & vasa arteriosa validius irritat. Iam vero dolor, in parte quadam natus, ob systematis neruosi nexum, cum corde demum & arteriis irritationem communicat. Fit inde, vt minus quoque grauem dolorem motus saltim febriles comiten-

B 2

tur.

tur. V. *Inflammatio partis dolentis & consentientium.* Dolor enim, tamquam caussa irritans, allicit sanguinem ad partem dolentem & consentientes; febris simul producta, in praedisposito praeferunt corpore, & si valida fuerit, densat sanguinem, conspirante etiam ad id spasmo arteriarum, qui comprimendo sanguinem, hunc diathesi inflammatoria afficit. In parte itaque dolente oriri possunt haec: *Obstructio arteriarum*, ob spasmum earum & sanguinem spissum phlogisticum; *motus humorum impetusior, versus arterias obstruetas*, ob febrim, sanguinis congestionem & dolorem ipsum, qui irritat; *congestio demum sanguinis*, ut diximus. Quare inflammatio hinc suam originem ducere potest. Oritur quoque generatim inflammatio, quando pars quaedam sensibilis potentius irritatur, quod puncturae animalium, nullo veneno nocentium, manifesto docent. At dolor aequa potenter irritat. Ob eandem caussam *gangraena quoque, sphacelus suppuratio*, nasci possunt, cum inflammatio, a dolore orta, pro huius gradu maior minorue esse queat, atque ideo diuersis etiam modis solui. VI. *Syncope.* Nascitur enim haec, quando sanguis vel ex corde expelli, vel cor ingredi nequit. Spasmi itaque in arteriis aut circa cor oborti, syncopen inducere possunt; dolor vero spasmos infert. Ceterum ex his cunctum patere potest, symptomata doloris eiusque effectus, quos supra recensuimus, a mutato humorum motu, quem dolor producit, multis modis adaugeri, anxietatis, delirii, agry-

agrypniae, spasmorum, conuulsionum, tetani, epilepsiae & catalepsis exemplo.

§. IX.

De salutaribus & nocivis Dolorum effectibus generatim.

Exposui dolorum effectus, mirum quantum mentem machinamque humanam turbantes, cum dolor ipse harmoniam neruorum tensionem, qua ad conseruandam sanitatem conspirant, sublatam esse ponat. Potuissem eos innumeris exemplis & obseruationibus comprobare; sed in re nota mihi cauendum esse putavi, ne prolixitate mea Lectoribus taedium crearem. Restat ergo, ut salutem noxamque horum effectuum persequar, si prius haec generaliora monuero. Ut vires corporis passimque etiam mentis ad conseruandam sanitatem, naturali statu praesente, consentiunt: sic eadem, quando morbosae conditiones corpus adfligunt; ad restituendam sanitatem collineant; qua de re factum, ut vel ipsum morbum conamen naturae, propriam salutem defendantis, dixerit optimus SYDENHAMVS. Sicuti vero illae ipsae vires sanitatem praesentem ex altera parte destruunt, cum virium actiones continuae labem inferre debeant: ita etiam in morbis contingit, ut aut abnormes, aut deficientes, aut nimis violenter agentes, destructionem machinae, quam morbus iam molitur, promoueant atque accelerent. Vtrumque ergo in iis potissimum morbis continget, qui praecipuas corporis humani potentias inuadunt, quales sunt sensibilitas & irritabilitas.

bilitas. Quare dolor, vtramque potentiam vna cum motu sanguinis circulatorio afficiens, non poterit non effectus excludere, qui modo ad salutem, modo ad destructionem corporis tendunt. Ili erunt *salutares*, hi *nociui*. Atque nunc hoc posito fundamento, effectus dolorum tam *salutares*, quam *nociuos*, considerabimus.

§. X.

Effectus Dolorum salutares.

I. *Monet dolor, periculum adesse.*

Sensatio, quam dolor infert, vel vt aptius & conuenientius loquar, in qua consistit, tam crudelis, tam horrenda est, vt ea fere solum superetur, quae anxietatem comitatur. Interea haec ipsa sensatio ad salutem humanam tendit. Sensationes enim generatim a sapientissimo benignissimo Creatore datae sunt homini, vt *vel* voluptati eius, *vel* perfectioni mentis rationalis, *vel* necessitatibus naturae inseruant, homine sic ad eas explendas coacto. Dolor vero nec voluptatem auget, sed potius minuit, nec mentem proprie perfectiore reddit. Reliquum eapropter est, vt necessitates naturae respiciat. Tristis enim cum sit sensatio, ex neruorum affectione oriunda, monet, neruis male esse, harmonicam eorum tensionem summopere mutatam esse, vnde opus est, vt auxilia homo, ad profligandum malum, omni studio, omni opera conquerat. Quo atrociora sunt mala, quae dolor infert, eo certe magis utilis est tristis illa sensatio, quam proprie dolorem nuncupamus.

mus. Verissime hinc GAVBIUS: *Tot malorum, inquit, anterior simul tamen vitae custos est, qui & de praesente noxa, eiusque conseruationibus mature monet, & compellit ad medelam, quoquo modo quaerendam.* Vid. l.cit. §. 675. Atque idem de anxietate, inquietudine & vigiliis dicendum. Cogunt hominem, quem dolor torquet, ut ad debellandum malum auxilia petat. Miserrimus esset hominum status, ni cum vehementissima illa neruorum actione tristes sensationes coniunctae essent. Summum malum saepe eximum bonum, quod in hoc quoque casu valet.

§. IX.

II. *Spasmodorum utilitas.*

Spasmi, excitatae irritabilitatis effectus, horrenda videntur dolorum symptomata; non raro tamen illis insignis adscribenda est utilitas. Ut id pateat, sequentia hic notanda:
α) Nonnunquam *caussam dolorum remouent, minuunt.* Sic colicam diarrhoea, cardialgiam vomitus subsequitur, optimo saepe cum euentu; caussa enim doloris remouetur. Ita dolores sub partu, tendunt ad expellendam caussam, quae dolorem creat. Sic etiam spasmi a calculo, qui a dolore proveniunt, haud infrequenter calculi motum promouent, hac ratione dein dolorem ipsum lenientes. Dolor denique inflammatorius, vasa irritans & spasio afficiens, resolutioni inflammatorii tumoris inseruit, quod notissimum in rana capitum periculum manifesto docet. β) *Spasmi, dolori sese adiungent.*

*iungentes, alios dolorum effectus ex parte minuunt, praeca-
uent.* Dolorem v. g. excipere solet humorum affluxus &
congestio, tanto maior, quanto atrocior dolor. Ne vero
omnes congestionum effectus, ex dilatatione, ruptura & dia-
pedesi oriundi, enascantur, spasmus impedit, coarctans scilicet
vasa, ne nimia humorum congestione turgeant. γ) *Non ra-
ro hinc alii salubres effectus originem suam sumunt, qui
praecauendis aliis malis inferuiunt.* Dolores a partu, spas-
mum producentes, impediunt non raro effectus, qui a re-
tentis secundinis, a coagulato sanguine, in utero restitante,
alias oriri solent. Atque idem dicendum de spasmis sub vte-
ri haemorrhagia & mictu cruento. Coagula sanguinis, quae
tunc, in partibus affectis relicta, spasmum adeo enormem
excitant, ut saepe ad dolores parturientium accedat, hos ta-
men, massam nocentem expellens, praecauet, ne restagnan-
tes sanguinis particulae corrumpantur, vlceraque mali moris,
febres putridas &c. producant. Sic etiam dolor & spasmus,
in partibus paralyticis suborti, haud insalubres sunt. Non
solum enim ostendunt, vim vitalem recurrere, (vnde etiam
recte dictum, tremorem in sanis & paralysi nondum affectis,
paralysin imminentem indigitare, in paralysi vero eius finem
annunciare,) sed spasmus ipse stagnationem fluidorum in va-
sis, utpote frequentissimam paralysis caussam, tollere potest,
hinc ipsam quoque paralysin.

§. XII.

§. XII.

III. *Febris, a dolore ortae, salubritas.*

Qui febris naturam intellexit, salutarem illius in dolore effectum non diffitebitur. *Primo* enim mutando doloris causam, eum minuere studet. Collecta diathesis inflammatoria & acria varia dolorem non raro producunt. At febris illam soluere, haec coquere & expellere valet. Atque sic febris quoque discussioni inflammationis, in parte dolente subnatae, inseruit, hincque exacerbationem doloris, aut alia incommoda, minuit. Impellit *etiam* fluida, ut ea ratione materia nociva vel versus loca ignobiliora, vel extra corpus protrudatur. *Illud* variolarum v.g. febris secundaria, ex dolore magna ex parte nata, *hoc* haemorrhagiae naturales variae ostendunt. Febris enim ipsa, ut generationem, ita etiam expulsionem puris in variolis promouet, in variis haemorrhagiis naturalibus autem, ob sanguinem maiori impetu promotum, illarum eruptionem. *Denique* febris auxilio salutariter non-nunquam partes protruduntur. Docent id vulnerum consolidationes. Fiunt hae, dum vas a laesa extenduntur ita, ut puncta demum soluta, propius semper ad se inuicem accendentia, iterum cohaereant. Febris ipso humorum appulsu extensionem, hincque pendentem consolidationem partium laesarum facilitat. Atque id in similibus quoque exemplis valet.

C

§. XIII.

§. XIII.

*IV. Congestionis humorum ad partem dolentem & loca vicina,
effectus sunt salubres..*

A congestione humorum versus partem dolentem salus non minor repetenda est. Hinc enim fit 1) ut acre, quod causa doloris existit, blandis humoribus nonnumquam temperetur. Exemplum habemus huius rei in scabie humida. Haec enim, ob copiam humorum blandiorum, cum acribus commixtorum, suam solum obtinet benignitatem, qua siccam superare solet. In variolis simile quid obseruamus. Ob dolorem oritur affluxus humorum lymphaticorum, qui, si blandi fuerint, efficiunt, ut acre mitescat. 2) Nociuam materiam e massa humorum vel a partibus internis ad locum saepe ignobilem salutariter deriuat. Docet id dolor podagricus. Irritat is loca, quae occupat, sique materiam podagrericam, in humoribus errantem, ad partes exterioreas salutari cum euentu dedit. Ostendunt id etiam dolores partium externalium, qui casu nonnumquam orti, haemoptyses, aliasque affectiones, quae ex congestionibus nascuntur, felicissime sustulerunt. 3) Vulnerum consolidationem accelerat. Non solum enim partium extensionem producit (§. anteced.), sed praesente humorum congestione affluunt etiam humores lymphatici, qui quantum ad consolidationem partium sint necessarii, Physiologia duce facile perspicere posse.

possimus. 4) Salutarem nonnunquam producit euacuationem; fluxus menstrui, lochialis &c. exemplo.

§. XIV.

Alia dolorum commoda, ex effectibus eorum deducta.

Diximus in superioribus, dolorem debilitatem inducere, quae magna ex parte salutifera dici potest. Minuit enim doloris vehementiam, tanto semper minorem, quanto minor est nervorum, ad concipiendos tremulos motus, aptitudo. Praeterea haec ipsa debilitas solet, temporis mora, blandum renouare somnum, sub quo, cum anima ab operibus suis feriatur, hinc etiam nervi minus tenduntur, & dolor minus sentitur, & nouum systemati nervoso conciliatur robur, ne nimia afficiatur debilitate. Dolor porro frequentius recurringens, hoc corpori humano certe non leue commodum praestat, vt, inducta consuetudine, semetipsum minorem reddat. Mens nempe humana & partes corporeae ea facultate sunt instructae, vt rebus maxime nocivis atque ipsis venenis, temporis mora, adsuescere possint. Possunt itaque dolores, saepius perpessi, non minus in consuetudinem abire. Unde quoque fit, vt tenerrima saepe subiecta robustioribus constantius dolores perferre obseruentur. Denique partes, a dolore vnius in consensum vocatae, huius vel salutem, quam diximus, intendunt, vel noxas minuunt. Quando enim partes ab irritatis in uno loco nervis in consensum trahuntur, vel spasmus & motus maior, vel dolor oritur.

C 2

Vtrum-

Vtrumque symptoma non omni ex parte & semper insalubre est. Spasmus enim non in affecta solum parte, sed in aliis etiam consentientibus ortus, concurrit saepe, ut caussa doloris maiori cum vi & breuiori temporis interuallo superetur. Videmus id in partu; dum enim diaphragma & musculi abdominales in consensum trahuntur, fieri aliter non potest, quin foetus inde, atque secundinae, facilius expellantur. Atque id in similibus quoque casibus obseruamus. Quodsi vero dolor in consentiente parte solum oriatur: is tamen impedit, quo minus in parte ab initio dolore affecta, non omnes nociae eiusdem sequelae comparere queant, quas illius magnitudo ingenerare solet. Cum enim eo in casu plures sint partes, quas similis status morbosus occupat, huius quoque effectus non in vna solum, sed in pluribus adsint, necesse est. In omnibus ergo simul sumtis minores esse debent, quam si vni earum tantum inhaererent. Fac v. gr. inflammationem a dolore oriri. Nonne haec minus grauis esse debet, quando plures partes eiusdem conditionis a dolore occupantur, quam si vna tantum pateretur?

§. XV.

*Effectus dolorum nociv.*I. *Virium decrementum.*

Recensui hucusque salutares dolorum effectus; sequitur, ut etiam noxa eorum describatur, quae sane maxima esse potest. Atque primo quidem *virium decrementum*, synopen,

pen, paralysin inferunt; qui effectus idcirco bonus haberi nequit. Vita scilicet humana virium actionibus innititur; tantum ergo vita, quantum vires ipsae, decrementum patitur. Neque Medicus quidquam contra morbi saevitiam plerumque agere potest, ni viribus corporis humani concurrentibus adiuvetur. Morbi itaque, quos magna virium prostratio comitatur, iis peiores sunt, in quibus vires constant. Quamobrem dolor, qui hominem adeo affigit, ut syncopen, paralysin patiatur, non poterit non damnari. Praeterea hi ipsi affectus a salubritate sunt remoti. Quamuis enim insensibilitatem inducere solent: ea tamen, quum a potentiarum humanarum destructione aut nimio decremento profluat, salubris dici nequit. Quodsi vero ab insensibilitate ista discesseris, ne species quidem salubritatis in praediis dolorum effectibus detegitur. Quid enim symptomata morbi, virium summa imbecillitate stipata, boni praestare poterunt?

§. XVI.

II. *Motus impotentia.*

Grauitas dolorum, de qua loquor, motus impotentiam inducit, estque non tantum ideo insalubris doloris effectus, quod partium motus ad exsequenda munia vitae requirantur, sed maius etiam inde incommodum nascitur in podagrīs. Notarunt Scriptores, qui podagrae saevitiam descripsérunt, motum corporis, summi in superando eo dolore momenti esse. Pluribus id locis vrget SYDENHAMVS, accu-

ratissime podagram delineans: *Licet tam dolor, inquit, quam magna ad motum inhabilitas, exercitio quod ego prae ceteris omnibus lindaui, contraindicare videantur, tamen & hic labor exantlandus omnino est.* Ostendit dein emolumenta inde oriunda; pergit enim: *Quamlibet in paroxysmi initio aegro impossibile videatur, ut lationem in currum, multo minus eius motum ferre queat, attamen si id tentauerit, non ita diu post sentiet, se minus a tali motu dolere, quam cum se in cathedra domi retineret.* Id insuper accedit emolumenti, si ad horas aliquot, tam mane, quam post meridiem in currus veclus fuerit, quod cum domi toto die federet, noctem fere insomnem ageret, iam dolorem somno ad multam noctem fugare poterit; cum exercitatio permodica podagra laborantem eo usque delasset, ut in somnum dilabatur. Adde, quod eadem exercitatio calculum, quem vita deses ac iners ut plurimum accersit, quadantemus praecauebit. Quod vero maximi momenti est, a iugis ac pertinaci exercitio occurretur totali artuum ad motum impotentiae, quae haud paucis accidit post paroxysmum unum alterumque diuturniorem, contratis sine poplitum, sine calcaneorum tendinis: dum enim in cruciatu longiori quieti indulserint, (maxime crura non lentes extendere, quoties dolor genu occupauerit.) tandem crurum ac pedum motu per reliquum vitae tempus orbati sunt, tam in paroxysmorum interstitiis quam in ipsis paroxysmis, quos non ita tamen effugiunt. Addit denique: *In iis senibus,*

bus, quorum concoctiones admodum vitiatae sunt, & qui a morbo, per multos annos affligente, ipsam corporis substantiam quasi in podagram habent conuersam, nihil minus sperrandum est, quam ut morbus sine exercitio ad digestionem perducatur umquam; cum enim morbus naturam viribus superet, saepe moriantur a languore & aegritudine, quae formatis morbos copia concoctionem respuentis apportat, & ab hac materia incoctili, quae nullo modo potest assimilari, tanquam a veneno enecantur. Sed commoda haec omnia, quae a motu partium dolentium oriuntur, ob ipsius doloris tyrannidem impediuntur. Quis enim podagricorum, qui molilleti plerumque dediti sunt, eiusmodi auxilium, quod exacerbat dolorem, facile suscipiet?

§. XVII.

III. *Inflammationis vehementis noxie.*

Doloris gradui respondet inflammationis, ab eadem productae, magnitudo. In omni enim inflammatione sanguis phlogisticus in vasis arteriosis sanguiferis ita haeret, ut ea obstruat, spasio afficiat, qui eum magis magisque retinet, ipsem vero maiori minorue motu agitetur. Quo maior itaque sanguinis phlogosis, quo grauior spasmus in parte inflammata, quo fortior demum sanguinis impetus versus loca inflammatione affecta, eo maior inflammatio, eoque minor adfulget spes, fore, ut optime soluatur. Nunc autem dolor magnus, febre producta, sanguinem densat, (solet enim

enim sanguis ab ea actione, quam vasa arteriosa in eundem exserunt, condensari,) loca affecta ingenti spasmo adficit, motumque sanguinis effrenem reddit. Quare dolor enormis gradum inflammationis summopere adaugere, eiusque maxime salutarem solutionem impedire debet. Potest itaque facile gangraenam & sphacelum producere. Ista enim inflammationis solutiones oriri solent, quando inflammatio nimium quantum excedit, cum eo in casu motu, aestu, affricatu sanguinis, fluida humana, adeo ad subeundam putredinem prona, fere putrida euadant, gangraenam primo, dein vero, progrediente vitio ad solida, sphacelum inferentia. Denique notari hic debet, inflammationem ipsam, a dolore productam, raro salutem corpori adferre; transitum illius in suppurationem fere semper insalubrem, nonnunquam lethalem esse; inflammationem grauem febrem excitare magnam, cuius nocuos effectus dein exactius exponam; eandem demum nocuam nonnunquam materiam perissimo cum effectu retinere, vt in malignis istis dysenteriae speciebus factum deprehendimus, quae connexa cum intestinorum inflammatione, dysentericae materiae euacuationem impediunt.

§. XVII.

IV. Spasmorum insalubritas.

Vidimus equidem in superioribus, spasmos, qui dolori sece adiungunt, diuersa ratione salutares esse; interea negandum non est, ingentia quoque mala ab iisdem proficiisci. Non solum

solum enim saepe saepius gradum doloris magis magisque intendunt, sed inflammationes quoque augent, salutares excretiones supprimunt, exanthematum eruptionem salutarem impediunt, vires labefactant, non raro sine vlo commodo, sine vlla salute contingentes. *Augent etiam inflammationes.* Spasmus enim magnus in parte inflammata a dolore enatus, sanguinem, arctando vas a, retinet, premendo vero valdoperre condensat, immo, minuendo vasorum cavum, sanguinis moti cum vasorum lateribus afficitum atque hinc aestum auget. Quodsi nunc reliqua vas a sanguifera ob consensum partium simili spasio afficiantur: modo dicti effectus eo magis increscant necesse est. Quare a spasio pessimae inflammationum solutiones promoueri, facilitari possunt. *Salutares porro excretiones supprimunt.* Quis enim est, quin sciat, partus difficultatem, mensium, fluxus lochialis, &c. suppressionem nimium frequenter spasmo deberi vehementioribus? Atque quem fugiunt damna, quae inde ad corpus humanum redundant? Inflammationes pessimae, febres acutae, putredines fluidorum, rupturae etiam partium (proti hoc circa ventriculum contigit in notissimo a BOERHAAVIO consignato casu), frequentissimae sunt illarum suppressionum sequelae. Similem ob caussam *exanthematum eruptionem impediunt.* Notauit SYDENHAMVS, grauem in reione lumbari dolorem impedire, quo minus variolae cito erumpant. *Vires praeterea labefactant,* quod convulsiones,

D

epile-

epilepsiae, dolori saepe sine ullo alio commodo accedentes, manifesto docent. Ex hoc virium decremento dispositio ad chronicos morbos, ex debilitate generis neruosi aliarumque partium oriundos, nascitur. Hinc febres lentae & hecticae ex parte oriuntur, quae aut diu toleratos, aut vehementiores dolores excipiunt.

§. XIX.

V. *Congestionum damna.*

Non minora damna a congestionibus fluidorum versus has illasue partes, pendent. Etenim I. *haemorrhagias non raro insalubres producunt*, haemoptysin, ut exemplo utar, apoplexiam. II. *Inflammationes & spasmus excitant, praefentes vero exacerbant.* Congestio enim fluidorum ad partes aut sensiles, aut vi vitali instructas directa, irritat, unde caussa tam inflammationum, quam spasmorum, enascitur. III. *Supprimunt ideo saepe salutares excretiones.* Inflammatio scilicet & spasmus transitum fluidorum aut aliorum corporum per caua impediunt. Hinc fit, ut a nimia congestione humorum versus uterum fluxus tam mensium, quam lochiorum supprimatur, indeque pessima saepe mala originem suam trahant. IV. Directae versus loca neruosa, *milia, e nervis affectis oriundata, inducunt, catalepsin, convulsiones, paralysin, affectus soporosos, nouos dolores.* V. *Ortæ circa viscera vitalia, cor & pulmones, anxietates inexplicabiles, syncopen, metum suffocationis, ipsamque præficatione.*

cationem inferunt. Demum IV. partes saltim debilitant. Hinc vero ad nouam semper congeitionem, quavis data occasione producendam, & ad obstrunctiones disponuntur; vnde innumeri morbi, e chronicorum praecipue genere, determinantur.

§. XX.

VI. *Febris incommoda.*

Quamvis febris, dolori quacunque ex causa accedens, multis nominibus damnsa dici possit, si excedat: tria tamen incommoda maxime hic notari debent, *augmentum* scilicet *inflammationis*, *suppressio* *salutarium* *excretionum*, & *fluidorum corruptio*. Febris soluere equidem sanguinem potest, sed etiam inspissare, hinc visciditatem eius phlogisticam, & inflammationem inde pendentem, adaugere. Praeterea febris magna nimium intendit versus partem inflamatam sanguinis motum, vnde inflammationis nimium quantum auctae mali exitus eueniunt. Quod suppressionem salutarium excretionum attinet: illa & inflammationi auctae, & celeritati sanguinis excedenti debetur. Illa enim, nata in loco excretioni aut sanguinis, aut aliis fluidi destinato, transitum fluido non permittit; haec vero efficit, ut sanguis rapido motu ex arteriis in venosa vasa feratur, atque sic, per magis exilia vasa, quae praeterlabitur, vehi nequeat. Fluidorum demum corruptiones, ab impetu febrili & retentis excrementis repetendae sunt. Sanguis enim vel in ipso sanitatis statu, motu continuo acrior redditur. Nonne facilius id, nonne maiori in gradu continget, quando a febre agitur? Concurrunt tamen hic quoque retenta excrements, quae dispositioni humorum ad ineundam putredinem augmentum addunt. Praedicta omnia puerarum exemplo illustrari possunt. Dolor in his saepe excitat febrem, supprimitur inde fluxus lochialis,

D 2

oritur

oritur inflammatio, demum accedit purpura. Noxa vero illorum omnium effectuum vnicuique facile patebit.

§. XXI.

VII. Idea tristis, cum dolore connexa.

Idea tristis, cum dolore connexa, in se spectata, sine dubio mala est; omnes illam homines horrent. Anxietas, inde oriunda, summum certe malum, prioris incommoda auget. Sed agrypniae quoque diuersis modis hic nocere possunt. Noctis silentium, agrypnis accedentibus, doloris perceptionem intolerabiliorem reddit; continuae quoque agrypniae, si diu durant, corpus debilitant, vires concoctrices labefactant, sique ad chronicos morbos via pandit. Deliria quoque & morborum acutorum, cum dolore connexorum, augmentum inferunt agrypniae. Nervi enim continuo irritati, nervos cerebri facile in abnormes rapiunt tremores; congestiones sanguinis versus cerebri vasa efficiunt, spasmos, inflammationes, febrilem impetum intendunt. Quamuis itaque tristis illa idea, quae dolorem comitatur, homini non sine summa utilitate data sit, nonnunquam tamen, ob mala enormia, quae infert, quando excedit, omnino exitiosa est, mortemque, malorum finem, accersit.

§. XXII.

Epilogus.

Methodum niedendi, his malis destinatam, non expectabunt a me Lectores, cum in artis medicae Elementis traditum soleat. Mihi vero sufficiat, si ex praesenti Specimine cuicunque appareat, dolorem equidem inter summa generis humani mala referendum esse, eundem tamen suis etiam saepe saluberrimis, & sine eo non impetrandi, commodis stipari, neque DEVVM ideo tantum accusri debere, cum homines imprimis suis sibi vitiis aut dolorem saepe, aut eius augmentum concilient. Rechte id quondam propugnauit LEIBNITZIVS.

PRAE-

PRAENOBISSIMO DOCTISSIMOQVE
C A N D I D A T O

S. D. P.

IOANN. GEORG. FRIDERICVS BüCHNER,
THVRINGVS, OPPONENS.

*Quanto te semper prosequutus sim amore, & quantis amicitiae vinculis coniungamur, iam profiteri, superuacaneum existimo. Sed, quod me ipsum felicem praedicem, quod ille tuus mutuus mihi contigerit amor, id non possum, quin laetus, te inuito, referam. Quod eo gratius mihi accidere debebat, quo magis in eodem, quo ego, litterarum studio versaris, & quo maiores erant tua & diligentia, & inde parta gloria. Tantum abest, ut hanc laudem sola diligentia circumsumtam & absolutam putarem, ut potius eo, quod tam saepe dissidentis partes sustinueris, magis illustrata sit & celebrata. Ingenue fateor, tu, si qua est in me iudicandi vis, tempus trium, quibus hic versatus es, annorum, tam bene collocasti, ut numquam huius temporis, ut sine fructu consumti, te poenitere potuerit. Ideoque noli diutius desiderium, quo feruntur optimi parentes, tui videndi, tua constanti & incredibili diligentia haud explere. Exspectant te illi & amici, exspectant te aegrotantes, qui spem forte tutam in te uno, valetudinem pristinam recuperandi, collocant. Possem quidem hoc consilio videri non satis ardenti te complecti amore, sed habeto, me salutem publicam, desiderio meo te semper videnti, praferendam putare, praesertim quia tua absentia nostram non cessaturam esse amicitiam sperare me sinat. Quod ut nefiat, si opus est, rogo te vehementer & obsecro. Fac valeas, resque tuas feliciter agas! Dab.
Hale ad Salam, d. XXI. Mart. MDCCCLXVIII.*

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM
C A N D I D A T O

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS CAROLVS IETZKE
M. C. OPPON.

*E*t si, pro mutua nostra amicitia, te, a me, amari, non tibi ignotum esse, arbitror; tamen hasce litteras iis adiungere, quae tibi gratulandi causa conscriptae sunt, non dubitavi. Hisce enim optimam nanciscor occasionem, quanti te faciam, publice declarandi. Tunc iam, cum te pri-
mum viderem, antea quam amicorum numero te adscribere mihi licuit,
te diligere coepi. Debebam hoc egregiis tuis virtutibus, debebam morum
tvorum probitati animique integritati, quae primo conspectu clucere vi-
debantur. Ex quo vero te propius noscere mihi contigit, non potui non
te amare, quia me vere iudicasse intellexi. Detegi insuper, qua discen-
di flagrabis, cupiditatem quam maxime laudabilem. Quid quod? inde-
fessam industriam, quam, Medicorum inuestigando scientias, semper adhi-
buisti. Quibus quoque factum est, ut solidissimam hancce tibi acquisue-
ris eruditionem: qua de re egregium, quod elaborasti, Specimen testatur,
Eamque ob causam, Illustr. Medicorum Ordo, summos in arte nostra tibi
decreuit honores, propediem in te conferendos. Ascendas itaque cathedram,
quo, si ita iubes, te comitabor, laborum tvorum praemia capturus. Ego
vero, de cursu academico tam feliciter peracto, mente sincerrima, tibi gra-
tulor, Numenque supremum, pro tua tvorumque salute, implorare nun-
quam desinam. Viuas diu, viuas saluus atque incolmis una cum splendi-
dissima tua Familia. Ita enim aegrotantes tutissimum in te habebunt re-
fugium atque solatium, & ego semper amicum habeo, quem opto, sincerum.
Valeas, meque, ut haec tenus fecisti, amare nunquam desinas, etiam at-
que etiam rogo. Dabam Halae d. XXI. Martii MDCCCLXVIII.



X3641781

W 78